

Hadriani PP.

& S. R. E. Cardd. sub-
skriptiones.

quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

EGO ADRIANUS Catholica Ecclesiæ Episcopus.

Ego Ubaldus Presbyter Card. S. Crucis in Hierusalem.

Ego Imarus Tusculanus Episc.

Ego Gregorius Sabinenfis Episc.

Ego Ubaldus Otienfis Episc.

Ego Joannes Presbyter Card. SS. Silvestri & Martini.

Ego Ildebrandus Presbyter Card. Basilicæ duodecim Apostolorum.

Ego Otto Diac. Card. sancti Georgii ad Velum aureum.

Ego Jacintus Diaconus Card. sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Arditijs Diaconus Card. S. Theodori.

Dat. die 8. Februarii an. Dom. 1158. Pontificatus V.

Datum Laterani per manum Rolandi S. Romanæ Curie & Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, VI. Idus Februarii, Indictione VII. Incarnationis Dominicæ MCLVIII. Pontificatus vero Domni Adriani Papæ IV. anno V.

XXI.

Privilegium confirmationis Donationum Monasterio in Prufeningen. factarum, cui nonnulla privilegia conceduntur.

Hic Monasterio similia privilegia concessere Innocentius PP. II. & Eugenius III.

Ex Fundi Metropolit. Salzburg. Tom. III.

Adrianus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Erboni Abbati Monasterii S. Georgii Prufeningen. ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium.

AD hoc universalis Ecclesiæ cura nobis a providore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiofas diligamus personas, & beneplacitam Deo Religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando simulatus impenditur, nisi ex charitatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Oportet igitur, omnes Christianæ fidei amatores Religionem diligere, & loca venerabilia cum ipsis personis divino servitio mancipatis attentius confovere, ut nullis pravorum hominum agitentur molestiis, vel importunis angustiis fatigentur. Hujus rei gratia, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer assuimus, & præfatum beati Gregorii Prufeningen. Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri sanctæ recordationis Papæ, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quæcumque bona, quascumque possessiones ab Ottone bonæ memoriæ Babenbergens. Episcopo, Egilberto & Eberhardo ejus successoribus, justè & canonicè vestro Monasterio sunt oblata, & imposterum ab eorum successoribus, sive ab aliis Dei fidelibus simili modo, seu concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Prin-

Monasterium sub protectione Sedis Apost. recipiens.

Eidem donationes omnes confirmat.

cipum, oblatione fidelium, aut etiam variis rationabilibus modis, præstante Domino, eidem loco conferri contigerit, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas præsumat exigere. Adjicimus etiam, ut in Ecclesiis vel cappellis, quæ in fundo Monasterii vestri sunt, liceat vobis, honestos eligere Sacerdotes, qui nimirum per vos Episcopo præsententur; atque, si idonei fuerint, ab eodem Episcopo curam animarum suscipiant, eique de spiritualibus, vobis vero de temporalibus respondeant. Quod si commune in terra illa fuerit interdictum, & exclusis ab Ecclesia vestra excommunicatis & interdictis, clausis januis, liceat vobis, submissa voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obstet: salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, de quibus corpora mortuorum assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, supradictum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diocesani Episcopi canonica justitiâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

EGO ADRIANUS Cathol. Eccl. Episc. s.

Hadriani PP. subskriptione.



Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancell. Kal. Aprilis Indict. VII. Incarn. Domin. anno MCLVIII. Pontificatus vero Domni Adriani Papæ IV. anno V.

Dat. die 7. Aprilis anno Dom. 1158. Pont. ann. V.

Mo

XXII.

Monasterio SS. Nazarii & Celsi Veronen. Dicecesis bona omnia confirmantur, salvo censu annuo Palatio Apostolico solvendo, ejusque Monachis Abbatis sui electio committitur.

Ex Ughel. Ital. Sac. Tom. V. ubi de Veron. Mon. Ecclesia

Adrianus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Clementi Abbati Monasterii sanctorum Nazarii & Celsi, ejusque fratribus, tam presentibus quam futuris monasticam vitam professis, in perpetuum.

Quotiens &c. commutamus; In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in ipso Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quæcumque bona, eadem Ecclesia impresentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ecclesiam S. Mariæ de Marcellis cum pertinentiis, salvo censu unius bizantii, quem singulis annis pro eadem Ecclesia nobis nostrisque successoribus solvere debeatis: Ecclesiam S. Sebastiani cum pertinentiis, Ecclesias de Carliano, Ecclesiam sanctæ Mariæ Cluave cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Cassiani cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Martini de Lavago cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Sepulchri cum Hospitali cum pertinentiis suis, Ecclesiam sanctæ Felicitæ cum pertinentiis suis, villam Cossiani cum omni jure suo, terram quam habetis in Lenazzo, terram de Nodofola, terram de Portu, terram de Porcile, terram Gepito, terram de Lavagno cum vineis & domibus suis, terram de Grillana, terram de Mizano, terram de Monte auro cum molendinis & valedoribus & vineis sui, terram de Mizoli cum olivis & vineis suis, terram cum olivis in territorio sanctæ Mariæ in Selle, terram & vineas de Colignola, terras de Lilasi, terram de Garda cum olivis suis, insulam de Parquara cum pratis & cum omnibus ad ipsam pertinentibus. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars sanioris consilii, secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam præviderint eligendum. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium decimas a vobis nullus præsumat exigere. Decernimus ergo &c. Salvâ &c. Cunctis autem &c. Amen.

Hadriani PP.

& S. R. E. Cardd. sub-
skriptiones.

EGO ADRIANUS Catholica Ecclesiæ Episc. Ego Ubaldus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Prædix. Ego Julius Presb. Card. tit. S. Mrcelli. Ego Octavianus Presb. Card. tit. S. Cecilia. Ego Aftaldus Presbyter Cardinalis tit. sanctæ Priscæ.

Ego Girardus Presb. Card. tit. S. Stephani. Ego Hildebrandus Presb. Card. Basilicæ duodecim Apostolorum. Ego Guido Presb. Card. tit. S. Chryfogni. Ego Gullelmus Presb. Card. tit. S. Petri ad Vincula. Ego Otto Diac. Card. S. Georgii ad Velum aureum. Ego Rodolphus Diac. Card. S. Lucie. Ego Petrus Diac. Card. tit. S. Eustachii juxta templum Agrippe. Ego Raymundus Diac. Card. S. Mariæ in Via lata. Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii, XIII. Kal. Janii Indict. VI. Incarnationis Dominicæ anno MCLVIII. Pontificatus vero Domni Adriani Papæ IV. anno IV.

Dat. die 21. Maii an. Dom. 1158. Pontif. ann. IV.

ALEXANDER TERTIUS

PAPA CLXX.

ANNO ÆRÆ CHRISTI COM. MCLIX.



Rolandus, natione Tuscus, patria Soanenfis (a) ex patre Rainutio, antea S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Marci, & Apostolicæ Sedis Cancellarius, electus est Romanus Pontifex die 7. Septembris 1159. & die 20. mensis ejusdem consecratus, cui nomen Alexander III. Sedit in Pontificatu, imperantibus, in Oriente Emanuele, mox Alexio Comnenis, in Occidente Friderico Eno-

(a) Sed in Cod. Vatic. quem refert Baronius, legitur patria Senensis.

barbo Imp. annos xxi. menses xi. dies xxii. (a) Obiit apud Civitatem Castellii die 30 Augusti 1181. & sepultus est Romae in Ecclesia Lateranensi. Vacavit Sedes per diem (b).

Schisma Vigessimum octavum in Ecclesia.

Electo, ut diximus Rolando, qui Alexander Papa III.; Joannes tituli S. Martini, & Guido tituli S. Callisti, Presbyteri Cardinales, Octavianum tituli S. Caeciliae, Pontificiam dignitatem jamdiu ambientem, Pseudopapam elegerunt, qui Victor dictus. Inter caetera facinorosa stolam, e legitimi Pontificis collo violenter excussam, (c) sibi imposuit; & quarta hebdomada ab Episcopis, Malphitano, Ferentinatense, & Tusculano potius execratus est, quam consecratus die 4 Octobris in Abbatia Farfensi. Diem illi indixit Alexander, ut ad Ecclesiae unitatem rediret, quod vir nequam contemnens, cum suis excommunicatur, quod per summam audaciam, & inauditum scelus ab Octaviano quoque in Alexandrum factum est in Conciliabulo, Papae coacto ab Imperatore Friderico. Octavianum iterato anathemate percussit Alexander in Concilio, apud Montem Pessulanum habito, (d) mox in altero Turonis. Mortuus est in urbe Lucensi, ubi sepultus die 22 Aprilis ann. 1164. postquam in schismate vixerat ann. iv. menses febre septem, quem extinctum deservit Alexander, & Cardinales de morte illius exultantes durius increpavit. (e)

Schisma Vigessimum nonum in Ecclesia.

Post Octaviani mortem, eodemque die, quo Antipapa sepulturae mandatus est, mandato Imperatoris (f) 22 die mensis Aprilis Guidonem Crementensem (Presbyterum Cardinalem tituli S. Callisti, qui Octavianum elegerat) Antipapam fecerunt, qui consecratus est ab Henrico Leodiensi Epi-

(a) A die electionis deductos; nam si numeremus a die consecrationis supra annos & menses, sedit tantum dies x. Papius Junior. (b) Exclutus extremis. (c) Rei gesta historiam refert Alexander in epistola, quam subiecit, ad Clerum, & Populum Bononiensem: caetera refert Baronius ex Cod. Vaticano auctoris ejusdem temporis. (d) Prout legitur in Epistola, quam Pontifex dedit die XVI. Kal. Junii 1165. ad Omnibonum Viennensem Episc. (e) Ita scripsit Nuntius S. Thoma Cantuariensis in epistola, quam refert Baronius. (f) Inquit Tithemius in Chronico Hirsaugiensi.

scopo, & Paschalis III. nuncupatus. Cum per annos quatuor Imperatoris favore tumidus Romanos caeterosque Alexandro PP. fideles divexasset, & ad Ecclesiam S. Petri die quadam incumberet, ab eodem ipso Apostolo (a) immixtus cancri morbus in renibus ejus apparuit; unde eum pulmonis anhelitu tamdiu emisit saniem fatidam, donec infelicem spiritum impoenitens exhalavit, & pessima morte occubuit anno 1168.

Schisma trigessimum in Ecclesia.

Mortuo Guidone Crementensi, residua schismaticorum fex, cum nullus de Ecclesiae corpore superesset, quem sibi praeficere possent, subrogarunt in ejus locum Joannem quemdam Abbatem Sturmiensem (paulo ante a Paschale Antipapa Episcopum dictum Albanensem) quem dixerunt Callistum III. (b) Hic anno 1178. teatum suum agnoscens, Montem Albanum, (quo se receperat,) deseruit, & apud Tusculanum ad pedes PP. Alexandri cum quibusdam suis Clericis humilis & devotus accessit iv. Kalend. Septembris, & in conspectu Cardinalium, & multorum, se peccasse publice confessus est; quem Alexander in Curia, & in mensa honorifice habuit; (c) & postea Beneventi Redorem constituit. (d) Hoc itaque schisma cessavit hoc anno.

Schisma Trigessimum primum in Ecclesia.

Non multo post Joannis Sturmiensis abdicationem, (e) Schismatici quietem non ferentes Ecclesiae, iterum quemdam Clericum (f) contra Papam Alexandrum Antipapam statuunt, quem mutato nomine Innocentium III. vocitarunt, (g): sed anno sequenti 1180 apud Palumbaram cum sociis captus est, & in exilium deportatus. Schisma itaque, primis Alexandri Pontificatus diebus exortum, usque ad tempus exilii Landonis perductum, duravit annos xxi. cum nonnisi ann. 1180. reddita fuerit Ecclesiae pax.

(a) Legitur in Actis Alexandri III. (b) Ut habent Alexandri III. Acta a Papiro Jun. in Vita ejusdem. (c) Papius sepius laudat. (d) Inquit Romualdus Salernitanus. (e) Assertit Anonymus Calanenensis; sed Marcus Vipera scribit, eum a Papa constitutum esse Archiepiscopum Beneventanum, & illius Urbis Praefectum. (f) Scilicet anno 1179. ut habetur in Anuario Aquicinctino. (g) Landonem Sicinum nuncupatum. (h) Scribit Auctor laudati Anstarii.

*Clero

I.

Clerum, ac Populum Bononiensem, quos de legitima sui in Pontificem electione certiores reddidit, ad persistendum in sui obedientia ac fidelitate exhortatur.

Ex Radovic. Frisingen. lib. II. inter Res. Italic. Script. Tom. VI. & Baron. Annal. ad ann. 1159.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei. venerabili fratri Gerardo Episcopo, & dilectis filiis Canonice Bononiensis Ecclesiae, & legis Doctoribus, caeterisque Magistris, Bononiae commorantibus, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Æterna & incommutabilis providentia Conditoris sanctam & immaculatam Ecclesiam a suae foundationis exordio ea ratione voluit & ordine gubernari, ut unus ei pastor & institutor existeret, cui universi Ecclesiarum Praelati absque repugnantia subjaerent, & membra, tamquam suo capiti coherentia, ei se mirabili quadam unitate conjungerent, & ab ipsa nullatenus discederent. Qui vero Apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; ille procul dubio Ecclesiam suam, cujus ipsi Apostoli magisterium assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur; sed eam in suo statu & ordine, licet ad instar naviculae Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuo faciet permanere. Unde & quamvis hoc tempore tres falsi fratres, qui a nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in Angelos lucis, cum sint Satanae, inconstitem Christi tunicam, quam utique ipse quidem ex persona Psalmodographi a leonibus petiit, & a framae erui, & de manu canis orat ac postulat liberari, scindere & laniare laborent; Christus tamen, Auctor & Caput Ecclesiae, eam velut unicam sponsam suam provida gubernatione tuetur, & navem egregii Piscatoris, licet saepius quatitur a fluctibus, non permittit naufragium sustinere. Porro cum antecessor noster bonae memoriae Adrianus Papa Kal. Septemb. Anagninae debitum naturae solvisset, & de terris ad Coelum, de imis migrasset, Domino vocante, ad superna, eo Romam adducto, & II. Non. Septemb. in Ecclesia beati Petri praesentibus fere omnibus fratribus satis honeste (sicut moris est) tumultato, coeperunt fratres & nos cum eis secundum Ecclesiae consuetudinem de substituendo Pontifice in eadem Ecclesia studiosius cogitare, & tribus diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram, insufficientem huic honori, & tante dignitatis fastigio minime congruentem, omnes, quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octaviano scilicet, Joanne de S. Martino, & Guidone Crementense (Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram, sicut est, loquamur veritatem) concorditer atque unanimiter convenerunt, & nos assentiente Clero ac Populo in Romanum Pontificem elegerunt. Duo vero, Joannes, & Guido, quos pignotavimus, tertium Octavianum nominantes, ad ejus electionem pertinaciter intendebant. Unde & ipse Octavianus in tantam audaciam insaniamque

Narrat facti de se electionem in ostensum.

Schismaticorum pertinacia. Octavianus nefandum in Alexandrum facinus.

Bull. Rom. Tom. II.

prorupit, quod mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia nostram insufficientiam videbamus, juxta morem Ecclesiae Otto Prior Diaconorum induerat, tamquam arreptitius a collo nostro propriis manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos fremitus asportavit. Caeterum cum quidam de Senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis spiritu divino succensus, mantum ipsum de manu eripuit sevientis. Ipse vero ad quendam Cappellanum suum, qui ad hoc instructus venerat, & paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans & innuens, ut mantum, quem fraudulenter secum portaverat, festinanter afferret: Quo utique sine mora delato, idem Octavianus abstracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus, aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus ejusdem Cappellani, & cujusdam Clerici sui ambitiosus assumpsit; & ipse idem, quia non erat alius, in hoc opere Cappellano & Clerico extitit coadjutor. Verum ex divino credimus judicio contigisse, quod ea pars manti, quae tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus posteriora tegebatur. Et cum ipse idem hoc emendare studiosius voluisset, quia capitium manti extra se raptus non poterat invenire, collo simbrias circumduxit, ut saltem mantus ipse appensus ei quodammodo videretur. Sicque factum est, ut sicut tortae mentis erat, & intentionis obliquae, ita ex transverso & obliquo mantum fuerit in testimonium suae damnationis indutus. Quo facto portae Ecclesiae, quae firmatae fuerant, referantur, & armorum cunei, quos (sicut ex reapparuit) pecuniae largitione conduxerat, evaginatibus gladiis cum immenso strepitu cucurrerunt, & pestis illa mortifera, quia Cardinales Episcopos non habebat, armorum caterva militum vallabatur. Fratres vero, facinus tam immensum, & a saeculis non auditum ex insperato videntes, & formidantes, ne a conductitiis militibus trucidarentur, sese in munitionem Ecclesiae nobiscum pariter receperunt: ibique novem diebus continuis, ne exinde libere exiremus, fecit nos quorundam Senatorum assensu, quos pecunia oblata corruerat, die noctaque armata manu cum omni diligentia custodiri. Sanè populo incessanter & jugiter acclamante, & in Senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, de custodia fuimus illius munitionis erepti; sed in arctiori & tutiori loco apud Transiberim nos idem Senatores, recepta inde pecunia, posuerunt. Cumque moram ibidem ferme per triduum fecissemus, universo populo tantam prodicionem atque malitiam de caetero nullatenus sustinente, Senatores cum Nobilibus & Populo venientes, nos & fratres nostros per Urbem magnifice & honorifice cum immensis laudibus & praeconiis, campanis etiam in transitu nostro pulsantibus, conduxerunt; & sic tandem a violentia persequentis erepti, & nostrae redditae libertati, sequenti die Dominico venerabilibus fratribus nostris Gregorio Sabinenfi, Ubaldo Hostiensi, Bernhardo, Walthero, Julio & B. Episcopis, Cardinalibus quoque, Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scribaniis, Primicerio, & Schola Cantorum, Nobilibus etiam, & quadam parte de Populo Urbis apud Nimpham, non longe ab Urbe insul-

Ridiculum factum inde fecutum.

Sequitur narratio tumultuum, ac scelerum.

Dortentus Alexander.

Populi clamor pro eo liberando.

Tandem a Senatoribus honorifice eum ductus.

Hinc conseratus.

A a a con-